

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

CLASSIS X.  
THEMA VI.

Ex Gen 48. v. 21.

*Verba Patriarchæ Jacobi ad Iosephum: Ecce ego morior, & erit Deus vobiscum, reducereque vos ad terram patrum vestrorum.*

DISPOSITIO.

Jacobus ille optimus Patriarcha, moriturus domum suam disponere volens, filium Iosephum charissimum benefactorem, primum ad se vocat, eique (qui & auctoritate & fidelitate erga parentem ceteros longe superavit) ut cum maioribus ipsum sepeliat, mandat Gen. 47. vers. 30. Dehinc filiis Iosephi, Manasse & Ephraim adoptatis, benedicit. Gen. 48. vers. 5. Tandem quia scit, charissimum filium Iosephum morte parentis vehementer perturbatum iri, ad ipsum conuersus, sicq; vale extremum ipsi dicturus, non tantum singulari portione terræ Canaan ipsius posteritatem donare, sed & ingui solatio coque gemino dolorem filii leuare voluit.

Primum enim Dei præsentiam ipsi & posteritati eius pollicetur.

Deinde possessionis terræ Canaan spem facit induciam.

Hæc verba non tantum Iosepho, sed & nobis omnibus, haud parum solatii præbere posse, manifestum euadet, ubi rem paulo altius considerauerimus. Itaque de his iam sigillatim aliquid dicendum.

I. Pars.

Cum Iacobus appropinquare cerneret diem mortis suæ, (Gen. 47. vers. 9) & ægotanti ipsi adesset filius, sic ipsum alloquitur: En ego morior, & Deus erit vobiscum. Hæc verba multum habent in recessu.

I Primum enim vide, quam placide in fine vitæ suæ Iacobus loquatur: En ego morior, sum iam morti vicini

nas

aus. Id sentio. Et paratus quidem sum mori. Absoluti enim dies peregrinationis meae sunt.

2 Deinde quia pro filio optimo & piissimo sollicitus est & scit quam ægre is parentem relicturus sit, solatur ipsum. Ecce ego quidem pater tuus morior, at uiuit pater vester in cælis.

Ego quidem vos relinquam: At Deus vobiscum erit, & nunquam vos relinquet.

His verbis dolorem filii lenire cupit optimus senex.

**D I S C I M V S . I** Magnam esse differentiam inter obitum piorum & impiorum. Hi cum magna vel trepidatione vel indignatione interdum moriuntur: & iuxta Vergilianum illud, coram sæpe vita cum gemitu fugit indignata sub umbras. Et Psal. 73, v. 29. cum horrore ipsos vitam finire asserit.

Pii vero placide & prompto animo decedunt, ubi sic Deo visum est, nec reluctantur. Fiat voluntas tua, dicunt. Iosua, Dauid, Ecce ingredior viam vniuersæ carnis. Ios. 23, v. 14. 1. Reg. 2, v. 2. Cupio dissolui. Phil. 1, v. 13. Nunc dimittis, ait Simeon, Luc. 2, v. 29.

Hæc nobis etiam consideranda, ne mors tam amara sit: sicut est nonnullis. Syr. 42, vers. 1. iuxta Latin. Mori lucrū. Melius esse cum Christo. Phil. 1, v. 21. Somnus piis est non mors. Matt. 9, v. 24. 1. Thess. 4, v. 13. Quies post laborem dulcissima. Esa. 56, in fine. Apoc. 14, v. 13.

**I . II.** Magna non parentibus tantum morituris, sed & piis liberis, ingenti alioquin cum luctu parentes charissimos relicturis, consolatio proponitur, ex verbis. Ego morior, at Deus vobiscum erit, qui immortalis est. Sic enim boni & solliciti parentes minori cum dolore futuros orphanos suos relinquunt, quod sciant, Deum immortalem cum ipsis futurum, & paterne cum ipsis acturum, Ioh. 1, v. 18.

Vicissim etiam liberi hoc cogitent. Licet relinquendi nobis parentes benefactores summi: tamen si Deus nobiscum, non erimus destituti auxilio,

Orant

Orant enim, Pater noster, Matth. 6. v. 9. Tu pater, Eccl. 5, vers. 16 & 64. v. 8. secundum versionem Latinam. Quod si Deus pro nobis, quis contra? Rom. 8. v. 31. Dummodo te habeam, Psal. 73. v. 25.

Ad pios hæc pertinent, tam liberos quam parentes. Multi enim parentes sic suos alunt, sic educant, ut non possint sperare, Deum fore propitium liberis: sed metuendum, ne visitet Deus peccata ipsorum, vsque in tertiam generationem, Exod. 20. v. 5.

Vicissim multorum piorum parentum liberi, & hi præfertim, qui suos cito cupiunt extinctos, sic honorant parentes, ut præsentiam Dei sibi non debeant polliceri, sed metuendum sit, ne parentibus (propter quos hætenus ipsis pepererit Deus) extinctis, mox ultio diuina ipsos excipiat.

Sic itaque agant parentes, ut Dei præsentiam suis post obitum possint polliceri, ut Iacobus Iosepho: & hoc satis esse sciant, si relinquunt ipsis Deum propitium, & memoriam nominis honestam: ut benefaciat ipsis Dominus in mille generationes, Exod. 20. v. 6.

Sic viuant liberi, ut cum suos parentes amiserunt, liceat ipsis confugere vera fide & corde intrepido ad patrem æternum, & clamare, Abba pater, Rom. 8.

### II. Pars.

Spem facit etiam optimus Patriarcha filio Iosepho, quod Deus posteritatem ipsius sit introducturus in promissam terram Chanaan.

Inquit relinquendam aliquando Ægyptum: sed sperandam terram promissam meliorem.

Ideoque pietatem colendam posteris eius, ut fruantur aliquando terra promissa; id recte vult monere.

Vocat autem terram *patrum vestrorum*: quia ipsis patribus promissa est à Deo, & posteritati eorum. Vide Gen. 12. v. 7. & Gen. 26. v. 3. repetitam Isaaco promissionem: & spem ab ipso factam filio Iacobo, Gen. 28. v. 4.

Quam.

Quamvis itaque nec pedis quidem vestigium habuerint Patriarchæ in terra ista (referente Stephano, Act. 7. vers. 5) tamen propter veritatem Dei & certitudinem promissionis, non dubitat Iacobus, istam terram vocare *Terram Patrum*.

Locvs. Sicut Iacobus moriturus solatur filium, quod Deus posteros ipsius sit introducturus in terrâ Chanaan, ita nos morituros soletur magis hoc, quod in veram patriam nunquam relinquendam, sumus introducendi: quæ & felicitatis & æternitatis ratione Chanaan illud longo post se intervallo relinquit. Imo oculus non vidit, Es. 64. 7. 4. 1. Cor. 2 v. 9. De quo Phil. 3. *πολιτευε* in cælis, Heb. 13. v. 14. Venturam inquirimus. Et Heb. 12. v. 16. Huc itaque tendamus. Hoc desideremus, 2. Cor. 5. v. 2. Et hanc lachrymarum vallem non inuiti relinquamus.

F I N I S.

## THEMA VII.

Gen. 40. à v. 29. ad 33.

*Mandatum Iacobi datum filiis de loco sepultura, &c.*

NOTA. Locum sequentem de morte Iacobi, Vide Class. II. Num. VII. pag. 117.

## DISPOSITIO.

Gen. 47. v. 29. Iacobus morti vicinus filium Iosephum, Principem Ægypti, ad se vocat, & ut ipsum defunctum non in Ægypto sepeliat, sed in terram Chanaan deducat, maximopere rogat. Idq; Iosephus interposito iuramento se facturum recepit.

Nunc vero idem in genere filiis omnibus (postquam illis valedixisset) mandat, & quo loco terræ Chanaan sepeliri velit, discrete significat. Vnde facile possumus colligere, Iacobum de sepultura sua fuisse haud parum sollicitum.

Videamus itaque Primum, Patriarchæ de sepultura sua mandatum.

Dein-